

DISPUTATIONUM METAPHYSICARUM  
PRIMA

*De*  
**AXIOMATIBUS**  
**in Genere,**

*Quam*  
In Incllyta Salana  
Consensu Amplissimi Collegii Phi-  
losophici

publicæ ventilationi exponent

**M. JOH. PAULUS Lebenstreit /**  
**PRÆSES,**

*&*  
**JOH. GEORGIUS Pfefferkorn /**  
Cruciburg. Thuringus

RESPONDENS

Ad d. Jul,

ANNO M. DC. LXXXII.

---

**J E N Æ,**  
Litteris WERTHERIANIS.

DISPUTATIONUM METAPHYSICARUM  
PRIMA  
DE  
AXIOMATIBUS  
in Genere,  
In Invenit Salans  
Congregatio Anthoniana Collegii Phi-  
losofici  
publica ventilatione exponunt  
M. JOH. PALLUS  
PRAESES  
&  
JOH. GEORGIIUS  
Cancellarius  
RESPONDENS  
AD Q. JOH.  
ANNO M. DC. LXXXII  
JENAE  
DICTVS VERTICILLVS





## JEHOVAH JUVA.

### THESIS I.

**A**Xioma est propositio universalis, aut ad minimum universali æquipollens, vera, necessaria, certa, indemonstrabilis, quam novisse debet, qui scientiam aliquam discere vult, antequam ad præceptorem suum accedat.

Εν Θεωριαις.

§. 1.

**D**icitur (1): *Universalis*. Axiomata enim ex naturâ suâ ordinantur ad ingenerandam rerum scientiam, vocanturque accuratæ eruditionis fontes, ut innuantur, nullam eruditionem accuratam seu scientiam *divinâ*, & quæ hanc gignit, demonstrationem absque axiomatibus expectari posse, & in axiomata omnes tandem doctrinas esse resolvendas: Jam verò scientia plenior & uberior est universalium conclusionum, quia per eam habetur cognitio & ipsius universalis, & aliorum, quæ sub illo comprehenduntur: e. g. qui novit, O. animal appetere, novit etiam, hominem, equum, leonem appetere: Ergo etiam axiomata, cum ex sua natura tendant ad progignendam scientiam, oportet esse propositiones universales.

A 2

les.

les. Quemadmodum enim ex falsis verum non potest inferri, ita, ut falsa sint causa conclusionis ratione materiae, ita etiam ex propositionibus particularibus non potest deduci conclusio universalis, cum aliàs particulare causa esset universalis, quod æquè fieri non potest ac ex falsis verum concludi nequit.

§. 2. Dicitur (2): *aut ad minimum universali equipolens.* Non enim ad axioma rectè & propriè sic dictum requiritur, ut signum universale semper actu habeat præfixum, cum sufficiat, si salvâ veritate possit præfigi, e. g. hæc propositio: Totum est majus qualibet parte, omnium consensu est axioma accuratè sic dictum, licet signum universale actu non habeat præfixum: Sufficit enim, quòd ei salvâ veritate possit præponi hõc modò: O. Totum est majus quâlibet parte. Excluduntur ergò ex numero axiomaticum illæ propositiones, quæ in multis, aut omninò fallunt: E. g. Tot modis dicitur unum conjugatorum, quot modis dicitur alterum, it: Qualis causa, talis effectus, it: Omnis Causa agit, it: Magis & minus non variant speciem, & aliæ ejusmodi regulæ. Illud quoque ex hoc requisito planum est, non quasvis propositiones ita nudè prolatas in numerum axiomaticum statim esse admittendas, quamvis sanò sensu intellectæ nomen axiomaticum sustineant: v. g. Propter quod unumquodque est tale, illud magis est tale, it: Causa causæ est causa causati, &c. Talismodi enim propositiones rectè intellectæ & explicatæ sunt universales, nec ullam patiuntur instantiam, id quod ad rationem ἀξιώματα requiritur, quamvis ita nudè prolatae multas admittant instantias, minimeque sint universales, adeoque in classem axiomaticum non sint evehendæ. E. g. hæc propositio: Causa causæ est etiam causa causati, ita crudè prolata non est universalis, cum pater homicidæ sit causa illius, qui est causa causati nempe cædis patratae, neque tamen sit causa causati nempe cædis patratae: Illa interim propositio si rectè intelligatur, est universalis: Sensus enim propositionis genuinus huc redit: Cùm una res causat hoc, ut altera res causet

set

set rem tertiam, tunc prima res tertiam quoque rem cau-  
sare rectè dicitur seu prima res tertiæ etiam rei causa est,  
quo sensu hæc propositio est immutabilis & perpetuæ veri-  
tatis. Quod enim causat hoc, ut altera res causet rem ter-  
tiam, illud causat, ut res tertia à re secunda causetur, cum  
causare & causari à parte rei sint una entitas, ut cum *Scho-*  
*lis* loquar: Quod autem causat, ut res tertia ab altero cau-  
setur, illud est causa rei illius tertiæ, ut ex terminis liquet.

§. 3. Dicitur (3): *Vera*. Scientia enim, ad quam pro-  
ducendam axiomata ordinantur, non datur nisi de vero,  
cum si quis illud, quod falsum est, verum putet, non scien-  
tiâ gaudeat, sed ignorantia laboret. Ergo etiam propositio-  
nes, quæ scientiæ sunt effectrices, oportet esse veras, cum, si  
non essent veræ, non complecterentur causam simpliciter  
proximam, quam tamen propositiones *Ἀπιστημονικαὶ* necessa-  
riò continent. Quomodo enim falsum, quod æquipollet  
non enti, potest esse causa entis, cui æquipollet verum? Sic  
profectò causa effectû suo multis modis esset deterior. Equi-  
dem inficias ire non possumus, ex falsis quandoque verum  
posse elici, sed tunc præmissæ falsæ non sunt causa *πράγμα-*  
*τὸ* rei seu scientiæ, sed tantum *συμπερίσματα* seu illatæ  
conclusionis. Scientia enim causam ejus, quod concludi-  
tur ac infertur, requirit, quam propositionibus falsis nemo  
facile assignaverit.

§. 4. Dicitur (4): *Necessaria*. Hoc requi-  
situm patet ex natura scientiæ, ad quam progignendam  
axiomata diriguntur. Scientia enim versatur circa neces-  
saria, ut passim docet *Philosophus. Lib. 1. post: c. 2. §. 3.* in-  
quit: *ὥστε ἂν ἀπὸ λῶς θὴν Ἀπιστήμη, τὴν ἀδύνατον ἄλλως ἔχειν. Cap.*  
*XXXV.* ejusdem libri discrimen inter *Ἀπιστήμην* & *δόξαν* in eo  
constituit, quòd illa occupata sit circa *ἀναγκαῖον ἢ ἐνδεχό-*  
*μενον ἄλλως ἔχειν*, hæc verò versatur circa id, quod quidem  
verum est aut falsum, sed potest etiam aliter se habere.  
Quod si verò id, quod scitur, est necessarium, etiam pro-  
positiones ad scientiam ingenerandam ordinatæ sunt ne-  
cessariæ. *Ἀνάγκη, καὶ τὰς περὶ αὐτὴν ἀναγκαῖας εἶναι, δι' ὧν ἴδῃ*  
A 3 (συμ-

(συμπέρασμα) συμπεραυνόυεθα, necesse est, etiam propositiones esse necessarias, per quas conclusionem inferimus, ait *Themistius in paraphr. 1. Post. c. 4.* Ratio consequentiæ est manifesta. Si enim ex contingentibus inferri posset necessarium, quidni etiam ex falso posset demonstrari verum, cum contingens quæ tale dicatur, quod verum & falsum esse potest: Si ergo ex contingenti, quod falsum esse potest, concludi posset necessarium, hoc est, sic verum, ut falsum esse non possit, utique etiam ex falso verum posset demonstrari, quod tamen *accurati Doctores Analytici* rectè negant.

§. 5. Dicitur (5) *certa*: Illud enim, quod scitur, est certum, Ergo etiam principium, ex quo scibile deducitur, oportet esse certum: Si enim ex incerto posset concludi certum, ita quidem, ut incertum esset causa τὸ πρόγμα/θ, quidni etiam ex contingente necessarium, ex falso verum posset inferri? Vid. Clarissimi Dn. L. Val. *Westhemi* Præceptoris nostri summè venerandi *Instit. Metaphys. cap. XI. §. 1. not. 10.*

§. 6. Dicitur (6): *Indemonstrabilis*. Per propositionem indemonstrabilem intelligitur hoc loco ejusmodi propositio, quæ demonstratione absolutè sic dictâ, h. e. demonstratione διότι, cur sit, quæque causam includit, demonstrari non potest. Eò ipsò enim, quod axiomata habentur pro primis sciendi fontibus, significatur, quod non possint demonstrari demonstratione διότι seu per causam, quia aliàs primò esset prius, cum causa prior sit causatò.

§. 7. Dicitur (7): *quam quis novisse debet, antequam ad Præceptorem suum accedat*: Ipse enim Aristoteles lib. 1. Post: cap 2. §. 14. ait: *Ex immediatis principiis syllogisticis eam quam necesse est eum habere, qui discere quidvis debeat, voco axioma.* Pariter *Philoponus comm. in 1. Post.* ait: *Τὸ δ' ἀξιωμα δυνόθεν ὁ μαθητὴν ἔχει καὶ προβάλλει.* Per quæ verba axioma distinguitur ab aliis propositionibus indemonstrabilibus nempe à thesibus, quas *Aristoteles* in suis posteriorum Analyticorum libris distinguit in definitiones & hypotheses. Est autem thesis talis propositio indemonstrabilis, quam non  
necesse

necesse est ut noverit is, qui scientiam aliquam discere vult, antequam ad Doctorem suum accedat, sed potest eam à Doctore suo accipere. *Aristoteles* enim disertè ait *lib. 1. Post. cap. 2. §. 14.* *Κύριον δ' ἀνάγκης συλλογιστικῆς θέσιν μὲν λέγω, ἢν μὴ ἴσθαι δεῖται, μὴ δ' ἀνάγκη ἔχειν τὸν μαθησομένον ἔχειν.* Ex immediatis autem principiis *Syllogisticis* thesin quidem appello, quam non licet demonstrare, nec necesse est habere eum, qui aliquid discere vult. Eandem *ἑστῶς* definitionem inculcat *Johnnes Philoponus* *Comm. in 1. Post.* cum inquit: *ἢ μὲν θέσις ἐκ ἴσθαι ἀνίσις ἐκ τῶν μαθησομένων, ἀλλ' ἐκ τῆς διδασκονίας παραγίνεται.* Idem *com. in lib. 1. Post. cap. 2.* ait: Differunt axiomata & theses, ἐπεὶ τὰ μὲν ἀξιώματα ἴσθαι τὰς κοινὰς ἐννοίας καὶ ὁμοθεν προβαλλόμεθα, τὰς δὲ θέσεις ὅσα τῆς διδασκαλίας μαθαίνουμεν καθ' ἑκάστην ἐπιστήμην, quod axiomata, sive communes notiones domo nobiscum adferimus, theses autem à Præceptore discimus in unaquaque scientia. Conferatur *Themistius Euphrates, Græcus Aristotelis Paraphrastes* in *lib. 1. Post. cap. 2.* Theses autem iterum sunt vel definitiones vel hypotheses. Definitio ponit, quid res sit: E. g. *Analyticus* ponit, quid sit demonstratio, quando eam definit per *Syllogismum* *ἑπιστημονικόν*, *Ethicus* ponit, quid sit moralitas, quando eam definit per *habitudinem* realem ad naturam rationalem. Hypothesis est propositio indemonstrabilis affirmativa aut negativa quæ non explicat rei quidditatem, sed ponit aliquid esse aut non esse, & ab illo, qui scientiam communicaturus est, ponitur, ut ex eâ aliquid demonstret: E. g. Hypothesis in morali scientia est: Datur per se morale: Hæc enim propositio non ponit, quid sit morale, sed ponit saltem, aliquid esse nempe τὸ per se morale. Eadem propositio dicitur *ὑπόθεσις* & *ἀίτημα* sive postulatum. Vocatur *ὑπόθεσις*, cum discipulus ei assentitur, appellatur autem *ἀίτημα*, cum auditor eam negat, & inde Doctor petit ac postulat, ut illi discens fidem habeat.

Conveniunt itaque Hypothesis & definitio in eo, quod utraque est propositio *ἀμφοτέρω καὶ ἀναπόδεικτος*, it: quod utraque est *ἑστῶς*; Differunt autem, quod definitio ponit, quid res sit, hypothesis verò ponit, quod res sit vel non sit:

E. g.

E. g. Hypothesis est, quando dicitur: Unitas est; Definitio autem est, quando Arithmeticus dicit, *μονάδα* Unitatem *τὸ ἀδιάσπαστον εἶναι καὶ τὸ πᾶσιν* individuum esse secundum quantitatem, Vid. *Aristoteles lib. 1. Post. cap. 2.*

§. 8 Cum axiomatibus hæc requisita, quæ §§. præcedentibus adduximus, in Thesi tribuimus, axiomata accipimus in eo rigore, quò *Aristoteles* in *Analyticis* adhibet, quatenus nempe sunt propositiones dignæ, quibus omnes sine probatione habeant fidem. Aliàs enim *Philosophus* vocem *ἀξιωματικὸν* in *Topicis* sumit more *Stoicorum* pro qualibet oratione enuntiativa; E. g. *lib. 8. Top: c. 3. §. 8.* inquit: Cum autem de axioma ac propositione difficilius est differere, quàm de thesi, dubitare aliquis possit, utrum sint ponenda, quæ sunt hujusmodi, annon? Ubi existimat *Alexander Aristotelem* axioma & propositionem conjunxisse, quod h. l. sint unum idemque. Vid. *Celeberrimi Logici Melchioris Zeidleri Analys. Poster. lib. 1. Cap. X. §. 10.*

## THESIS II.

Licet axiomatum non habeatur scientia demonstrativa, solida tamen ac sufficiens eorum datur cognitio.

Ἐκθεσις.

§. 1.

**N**isi enim accurata axiomatum notitia sperari posset, omnis exquisita doctrina pessum iret, utpote quæ in axiomata ultimo abit ac resolvitur, nisi progressum in infinitum, à quo sana ratio abhorret, admittere velis. *ἢν ἐνδεχέσθαι πρῶτα ἀπὸ ἀδείξεως μὴ γινώσκοντι τὰς πρώτας δεξὰς τὰς αἰτίας*, Non potest quispiam scire per demonstrationem, nisi cognoscat prima principia immediata, inquit *Aristoteles lib. 2. Post: cap. ult.*

§. 2.



§. 2. Hæc axiomatum cognitio nobilior est scientiâ  
κυρίως & ἀπλῶς sic dictâ, h. e. scientiâ demonstrativâ (ἀπο-  
δεικτικῆ) quæ per causam simpliciter proximam obtinetur.  
Propositiones enim, quæ cognoscuntur, aut possunt inferri  
per genuinas rationes à priori, aut minime. Si possunt in-  
ferri per rationes à priori, nec tamen per eas inferuntur aut  
cognoscuntur, propositionum illarum cognitio ignobilior  
est scientiâ demonstrativâ: Si non possunt per rationes à  
priori inferri ac cognosci, non quidem illarum propositio-  
num est scientia demonstrativa, utpote quæ semper per prius  
obtinetur, datur tamen illarum cognitio, quæ scientiam de-  
monstrativam suâ nobilitate & excellentiâ superat. Vid. *Ma-  
gnifici Dn. D. Fridem. Bechmanni Patroni ac Præceptoris nostri  
eternâ pietate prosequendi Instit. Log. Lib. 4. cap. 8. §. 16.*

§. 3. Hæc axiomatum cognitio, scientiâ ἀποδεικτικῆ  
præstantior, est scientia ἀναπόδεικτῆ, quæ ut docet *Aristo-  
teles lib. 1. Post. Anal. cap. 33.* est ἀπόληψις τῆς αἰεσῶς προ-  
τάσεως existimatio propositionis immediatæ, aut quæ  
versatur circa illa, quæ cognoscuntur seipsis, vel, ut *Suessanus*  
inquit, quæ fidem per se ipsa habent, cujusmodi sunt axiomata.

§. 4. Illa solida axiomatum cognitio comparatur non  
μαθήσει institutione sed ἐυρήσει inventione, ut loquitur *Jo-  
hannes Philoponus comm. in lib. 3. de An. c. 4.* Non institutio-  
ne inquam. Institutio enim strictè accepta requirit cau-  
sam, per quam aliquid demonstratur, qualem axiomata,  
cùm sint primi sciendi fontes, non agnoscunt. Inveniun-  
tur ergò axiomata, & quidem per experientiam sensu fun-  
datam, cujus proprium est, cujusque rei principia ἀφαιρῆσαι  
(tradere) teste *Aristotele lib. 1. Prior. c. 30. §. 3.* aut investi-  
gantur per inductionem experientiâ suffultam, quam *Aristo-  
teles* idèo *lib. 2. Prior. c. 23. §. 5.* vocat συλλογισμὸν τῆς πρώ-  
της καὶ αἰεσῶς προτάσεως. Pergit ibidem: Quorum enim est me-  
dium, Syllogismus sit per medium: quorum autem non est me-  
dium, δι' ἐπαγωγῆς per inductionem. Idem Philosophus *lib. 2.  
post. Analyt. cap. ult.* disertè ait: Patet igitur, necesse esse, ut  
prima nobis inductione nota fiant. Nam ὁ sensus ita efficit in ani-  
ma universale.

B

§. 5.

§. 5. Hæc autem axiomatum ostensio, quæ fit per experientiam seu inductionem sensibus nixam, non est demonstratio. *Φανερόν, ὅτι ἀδύνατον, ἵνα αἰσθητέαι ἐπίσταται ἢ ἴων ἀποδεικνῶν, Manifestum est, fieri non posse, ut sentiendō sciatur aliquid demonstrabile, ait Philosophus lib. 1. Post. Analyt. cap. 31.*

§. 6. Quando autem beneficiō experientiæ aut inductionis experienciâ nixæ axiomata inveniuntur, tres potentia ad eorum investigationem in homine concurrunt, nempe sensus, memoria, & intellectus. A facultate judicativâ axiomatum cognitio trahit initium, ab experientia axiomata confirmantur, ab intellectu axiomata abstrahuntur. Prima potentia igitur est sensus seu *δύναμις αἰσθητική καὶ ἰσχυρή* infita quædam vis dijudicandi objecta sensibilia. Verum cum potentiam hanc à naturâ ingentam omnia habeant animalia, *Aristoteles lib. 1. post. cap. ult.* ad facultatem homini magis propriam progrediendum esse monet. Inde animalia d. l. in varia dispescit genera. Conferantur *Themistius paraphr. in b. l. & Philoponus comm. in b. l.* ex quibus exempla rem illustrantia ferè excerpimus. Quædam igitur animalia habent *μονὴν ἢ αἰσθημάτων* mansionem seu perseverantiam rei sensu perceptæ, ut loquitur *Aristoteles lib. 2. post. cap. ult.* si-ve post actum sentiendi servant in animo ideam & exemplar rei visæ, gustatæ, auditæ aut alio sensu cognitæ, quæ animalia dicuntur etiam *φρόνημα* prudentia, ut canes, equi, &c. Quædam verò post actum sentiendi non habent *μονὴν ἢ αἰσθημάτων* si-ve post actum sentiendi non servant in animo simulacrum quoddam & speciem rerum sensu perceptarum, ut sunt conchylia, ostrea, mulcæ, & vermes, Unde videmus muscas & vermes hac & illac vagantes, quod locum, unde exierunt, ignorent. Inter illa animalia, quæ memoriâ sunt instructa, alia habent phantasiâ modicam, in qua species rerum sensibilibum remaneant, ideoque simulacra rerum sensu perceptarum imperfectè & brevi tempore asservant, ut picæ & psittaci, cum retineant quidem voces hominum & ob hoc illas imitentur, sed æmulentur nec omnes voces, nec

nec, quas imitantur, perfectè: alia habent puram magis & præstantiorem phantasiam, & ideò diutius & perfectius rerum sensibilibum ideas servant, ut homines, equi, asini &c. Equi enim sæpius spatiò trium vel quatuor dierum à lustris & cubilibus aberrantes ad eum locum, unde egressi sunt, revertuntur. Asini autem semel in foveam delapsi post longum temporis spatium ad eandem, etiam oppletam, pertranseundam ne fustibus quidem adigentur. Illorum, quæ diutius & perfectius res sensu perceptas memoriâ retinent, quædam ratione sunt destituta, quædam, ut soli homines, ratione sunt prædita, per quam reservatas rerum ideas invicem comparant, earumque similitudines aut differentias speculantur, quibus absolvitur experientia: Multæ enim ejusdem rei recordationes & similitudinum inter se collationes constituunt experientiam. Ex sensu & crebriori ejusdem rei cognitione per sensum factâ fit memoria, ut docet *Aristoteles lib. 2. Post. cap. ult.* Ex memoria fit experientia; *ἐκ δὲ μνημῶν πολλῶν τῆ αὐτῆ γνώμης ἐμπειρία. αἱ γὰρ πολλὰ μνημῶν τῶ αἰσθητῶ ἐμπειρία μία ἐστίν*, inquit *Aristoteles l. c.* Eundem ferè in sensum loquitur *Themistius paraphr. ad l. c. πολλῶν δὲ μνημῶν ἐκ πολλῶν αἰσθήσεων γινομένων, ἐμπειρία ἀθροισμαία*, *Multis factis recordationibus, quæ ex multis per sensum cognitionibus oriuntur, una constituitur experientia.* Tandem ubi beneficiò experientiæ perspicitur similitudo rerum sensu perceptarum & memoriæ inscriptarum, nascuntur axiomata, dum intellectus postea similitudinem illam & universalem notionem abstrahit. E. g. elleborum purgare, sentio ac memoriâ teneo, elleborum iterum purgare, iterum sentio ac memoriâ teneo, idem in pluribus deprehendo & quidem in omnibus, quibus elleborus fuit exhibitus, & id eò illud memoriæ inscribo: Ex multis hujus rei recordationibus nascitur experientia, quod elleborus similiter omnes, quibus fuit adhibitus, purgaverit. Tandem ratio perspicuens elleborum similiter purgasse omnes, quibus fuit exhibitus, colligit ex experientiâ hoc universale principium seu axioma: O elleborus purgat. Desumimus hæc ex pa-

raphrafi Themistii, cujus verba hæc sunt: ἐκ μὲν ἑνὸς τῆς αἰσθη-  
 στικῆς ἐγγίνεσθαι μνήμη, ὡς περ λέγομεν. Ἐκ δὲ μνήμης πολλάκις τὴν  
 αὐτὴν γινόμενης, ἐμπειρία. αἱ γὰρ πολλαὶ μνήμαι τῷ δριθμῷ, μία  
 ἐμπειρία ὄντι. Ὅτι μὲν γὰρ τὸδε ὄντι ἐλέβορ⊕ τὸ καθῆραν, ἢ ὄντι  
 ⊕ καὶ ἐμνημόνευσεν. ἀλλὰ καὶ ὅτι τὸδε ἐλέβορ⊕, τὸ πάλιν καθῆ-  
 ραν, ἢ ὄντι καὶ ἐμνημόνευσε πάλιν. καὶ αὐτὸς γὰρ ἕτερον. καὶ πάλ-  
 λιν ἄλλο. πολλῶν δὲ μνημῶν ἐκ πολλῶν αἰσθησεων γινόμενων,  
 ἐμπειρία ἀθροίζεσθαι μία, τὴν καθαρεῖν τὸν ἐλέβορον. ἢς συναυξωμέ-  
 νης τε καὶ προσλαμβάνουσιν αἰσθησιν ὁμοίαν καὶ μνήμην, πηγνύσθαι  
 ἤδη τὸ καθόλου, καὶ ἐμμενεῖ τῇ ψυχῇ, ὅτι πᾶς ἐλέβορ⊕ καθάι-  
 ρει. καὶ ὄντι τὸ καθόλου τὸ ὁμοίον καὶ ταύτῳ ἐν τοῖς καθ' ἑκά-  
 στον, καὶ τὸ ἐν τοῖς πολλοῖς.

Vid: *Dissertatio Viri Clarissimi Dn. L. Valentini Bels-  
 themsi Patroni & Præceptoris nostri meritissimi, de ortu primo-  
 rum principiorum in mente humana, ubi veram & apud accu-  
 ratissimos Doctores Analyticos receptam sententiam accu-  
 ratè explicat, & Aristotelis doctrinam tuetur.*

§. 7. Cæterum hanc rem elegantè quodam simili ex  
 militiâ desumpto illustrat *Aristoteles lib. 2. Post. cap. ult.* Sicut  
 enim exercitu in fugam converso fieri solet, ut unus vel al-  
 ter ex militibus animo recepto in aciem redeat, quorum exem-  
 plum alii sequuntur, & tandem totus exercitus redintegrat  
 pugnam: ita manente una specie sensibili in anima, iterum  
 aliæ atque aliæ superveniunt species, donec factâ tandem  
 experientiâ ratio unum universale ex omnibus illis singula-  
 ribus necet. Ita simile, quod suppeditat *Aristoteles*, inter-  
 pretatur *Themistius* paraphr. ad l. c.

§. 8. Dicis: Si axiomata nascuntur in mente huma-  
 na ex experientiâ, cujuslibet impostoris falsa dogmata, quæ  
 ipse in erroneo & fallaci suo judicio tanquam sibi perspe-  
 ctissima firmiter collocavit, & ex falsis experimentis hau-  
 sit, axiomata erunt. Sed Resp. cum dicimus, axiomata oriri  
 ex experientia, non intelligimus experimenta Petro aut ti-  
 bi saltem comprobata, sed loquimur de experimentis, quæ  
 omnium hominum aut certè fide dignorum intellectui ita  
 sunt

sunt evidentia, ut eorum veritati nemo possit reluctari aut ullam adversus ea instantiam invenire.

### THESES III.

Licet axiomatum nec notitia in actu secundo, nec notitia in actu primo, nec habitus nobis connascatur, eorum tamen notitia in potentia propinqua intellectui nostro naturâ est insita.

Expositio.

§. 1.

**Q**uod actualis axiomatum notitia nobis naturâ non sit insita, inde liquet, quia terminorum, ex quibus axiomata constant, actualis cognitio nobis non connascitur: neque enim infans in lucem prodiens quid majus, quid totum, quid pars sit, perspectum habet, sed harum notionum vim tempore demum insequente assequitur. Quod si verò simplicium terminorum cognitio naturâ nobis non est insita, ecquâ ipsorum axiomatum, quæ ex terminis constant, actualis notitia nobis dici poterit congenita? Secunda enim mentis operatio, qualis est cognitio totius alicujus axiomatis, præsupponit primam mentis operationem nempe simplicem terminorum apprehensionem, e. g. ut quis cognoscat totum hoc axioma: Totum est majus qualibet suâ parte, prærequiritur notitia terminorum, sive, ut quis cognitum habeat, quid sit totum, quid pars, quid majus.

§. 2. Neque notitia axiomatum in actu primo nobis connascitur. Ut autem hæc nostra assertio commodius ostendatur, exponendum est, quidnam sit notitia axiomatum in actu primo nobis connata. Nempe notitia axioma-

B 3

cum

tum in actu primo nobis connata est completa potentia ad actum cognoscendi axiomata iisque assentiendi eliciendum, h. e. talis Potentia, cui nihil deest eorum, quæ ad hoc, ut actum cognoscendi axiomata eliciat, antecedenter requiruntur; Talem autem notitiam nobis non connasci, inde patet, quia ad notitiam in actu primo seu ad completam cognoscendi potentiam requiruntur species impressæ, quas vulgo species intelligibiles vocant, quæ naturâ nobis non sunt insitæ, sed ab objectis interventu phantasmatum ab intellectu agente elevatorum ad intellectum transmittuntur. Docet enim *Aristoteles lib. 3. de An. c. 5. text. 3.* intellectum ita se habere ad intelligibilia, sicut se habet sensus ad sensibilia. Sicut autem sensus in se sensibilium species actu non habet impressas, sed tantum obtinet potentiam eorum species suscipiendi, e. g. facultas visiva sensibilem coloris speciem actu in se non habet sed potentiam ad coloris speciem suscipiendam: ita etiam intellectus species intelligibilium seu species intelligibiles actu in se non habet, pollet tamen virtute intelligibilium species suscipiendi. Unde *Philosophus* eodem libro intellectum hominis similem esse dicit tabulæ nudæ, cui nihil actu est inscriptum, ut tamen ipsi omnia possint inscribi.

§. 3. Neque axiomatum habitus propriè dictus cum homine statim nascitur. Disertè inquit *Aristoteles lib. 2. Post. Anal. cap. ult. §. 6.* ἔτι δὴ ἐνυπάρχουσιν ἀφωρισμένα ἐξείς, ἔτι ἀπ' ἄλλων ἐξείων γίνονται γνωστικῶν, Itaque nec insunt definiti habitus (sc. principiorum, de quibus d. l. loquitur) nec fiunt ex aliis habitibus notioribus. Rationem reddit eodem capite §. 4. cum ait: εἰ μὲν δὴ ἔχομεν αὐτὰς, ἄλογον. Συμβαίνει γὰρ ἀνεπιβεβήτους ἐχούσας γνώσεις ἀποδείξεως λαθάνειν, si igitur eos (habitum principiorum) habemus, absurdum est. Accidit enim, ut eos, qui habent exquisitiores cognitiones demonstratione lateat. Quæ *Aristotelis* verba sic intelligimus: Si à natura habitus principiorum & axiomatum nobis esset insitus, illud nos non lateret, quia ille habitus præstantior & certior est scientiâ demonstratiivâ, quam nemo possidet, nisi eam se pos-

se possidere sciat: At verò infantes nesciunt, se tenere aliquem principiorum & axiomatum habitum.

§. 4. Excludimus ergò sententiam *Bartholomæi Viotti*, qui *lib. 3. de demonstratione cap. 7.* existimat, insitum à natura nobis esse habitum, cujus beneficio non solum principia sciamus, sed etiam certius sic se habere, quod per illa significatur, sciamus, quàm si illius demonstrationem habuissemus.

§. 5. Videtur objicere *Viottus l. c.* omninò habitum axiomatum nobis esse ingenitum, quia à natura nobis ingenitæ sunt potentia sentiendi, memorandi ac ratiocinandi, quæ facultates ad principia cognoscenda concurrunt. Verum confundit ipsum habitum primorum principiorum, & potentias, quæ concurrunt ad efficiendum istum habitum. Ipse habitus non connascitur, ut ostensum est, potentia tamen nobis connascuntur, quæ concurrunt ad ingenerandum istum habitum.

§. 6. Cæterùm notitia axiomatum naturâ nobis est insita in potentia propinqua, h. e. inde ab utero insita nobis est vis quædam ac potentia, cujus beneficio intellectus, simul ac terminos axiomatum apprehendit, statim in illis immediatè & citra ullam aliunde petitam rationem cognoscendi simplici intuitu perspicit identitatem prædicati cum subjecto, & ad actum assentiendi eliciendum se ultrò determinat. Sicut enim oculus lucem per se solâ aspectus contortione & non interveniente aliâ re intuetur: ita intellectus beneficio virtutis hujus naturâ congenitæ axiomata nullius rei interventu, sed simplici quodam obtutu apprehendit & penetrat.

§. 7. Vis illa ac potentia communiter vocatur lux intellectui ingenita sive naturâ insita. *Thomas de Aquino in p. 1. q. XII. art. II.* eam appellat virtutem intellectivam, quæ sit participativa similitudo ipsius, qui est primus; & lumen quoddam intelligibile quasi à prima luce derivatum. *Philippus Melancthon in lib. de Anima* vocat lucem in mentibus, & docet, eam lucem esse notitias divinitus sparsas in mentibus nostris.

§. 8. Vis

§. 8. Vis hæc ac facultas intellectui congenita demum fit actus primus, ut loquuntur *Schola*, h. e. potentia completa axiomata cognoscendi, si sensus suum fecerint officium, & species impressæ per sensus mediantibus phantasmatibus se intellectui insinuaverint. Tunc enim intellectus est sufficiens ad actum cognoscendi & assentiendi per se & immediatè eliciendum, & nullum requisitum ad actum istum producendum ulterius desideratur.

§. 9. Licet autem potentia hæc naturalis magna sit hominis ejusque intellectus perfectio, facilitari tamen, ut cum *Scholis* loquar, & adjuvari potest habitu quodam extrinsecus accedente nempe intelligentiâ, quæ non largitur primam axiomatibus assentiendi vim ac facultatem, sed adjuvat eam ac sublevat, ut intellectus axiomatibus, quæ debitè objecta jam citra ullam institutionem & ratiocinationem cognovit, promptius & facilius assentiatur. Sicut verò ipsa actualis axiomatum cognitio ex sensu & experientia hauritur: ita & habitus horum principiorum experientiâ & inductione ingeneratur. ἔτε ἐνυπάρχουσιν ἀφωρισμέναι αἱ ἔξεις ἔτε ἀπ' ἄλλων ἔξεων γίνονται γνωριστέων, ἀλλὰ διὰ αἰσθησιως, Nec insunt definiti habitus (principiorum) nec fiunt ex aliis habitibus notioribus, sed ex sensu, inquit *Philosophus lib. 2. Post. c. ult.*

§. 10. Duo igitur hic ostendenda supersunt, (1.) quod aliquis detur habitus circa axiomata (2.) quod ille habitus sit *Nōs* sive intelligentia. Prius liquet primò ex eo, quia v.g. Sapiens seu Metaphysicus huic axiomati: Totum est majus quâlibet suâ parte, pleniorē præbet assensum, quàm rusticus, quod aliunde fieri non potest, quàm à qualitate quadam, quæ intellectui Sipientis superaddita naturalem facultatem adjuvat & faciliat, h. e. ab habitu. Deinde naturalis illa potentia, cujus beneficio axiomata, simul ac terminos cognovimus, intellectus noster apprehendit ac penetrat, sæpè cohibetur inadvertentiâ, errore, aut perturbatione quadam, ne erumpat in actum & intellectum ad assensum axiomatibus promptius præbendum determinet, ut ut termino-



minorum, ex quibus axiomata constant, significatio intellectu  
tui satis sit perspecta. Sanè *Aristoteles lib. IV. Met. cap. IV.*  
impugnat quosdam, qui axioma hoc theoreticum: Impossi-  
bile est, idem simul esse & non esse, negare præsumserunt.  
Quædam igitur qualitas virtuti naturâ insitæ labanti quasi  
aut suppressæ succurrit, eamq; in assensu facilius & promptius  
præbendo axiomatibus elevat. Posterius, quod nempe ille  
habitus sit intelligentia, ex ipso *Aristotele* probamus hęc  
modò: Axiomata, quia sunt principia demonstrationum,  
certiora sunt ipsis demonstrationibus: Si autem certiora sunt  
demonstrationibus, per demonstrationes non cognoscuntur,  
adeoque nec cognoscuntur scientiâ, quæ per demonstratio-  
nem obtinetur. Quòd si verò scientiâ non cognoscuntur,  
cognoscenda sunt per intelligentiam seu mentem: Nam duo  
tantum sunt animi nostri habitus, quibus verum falsumque  
semper dignoscimus quique nunquam falluntur, nempe  
*ἰσχυρισμὸς* & *νόσος*. Accedit, quòd axiomata, quia sunt princi-  
pia demonstrationum adeoque ipsis demonstrationibus cer-  
tiora, certiori & præstantiori cognitionis genere sunt cogno-  
scenda, quàm est scientia, quippe quæ per demonstrationem  
progignitur: Jam verò nullum cognitionis genus præter  
intelligentiam scientiâ est certius. Vid. *Aristoteles lib. 2. Post.  
cap. ult. §. 8.*

#### THESIS IV.

Axiomata sunt vel propria vel quasi  
propria.

Ἐκθεσις.

§. I.

**A**Xiomata propria dicuntur, quæ consideratione pro-  
pria sunt illi scientiæ, & quæ eidem respondet, disci-  
plinæ, in qua ad conclusiones inferendas adhibentur.  
Axiomata quasi propria vocantur, quæ quidem consi-  
dera-

deratione propria sunt alii alicui scientiæ, applicantur tamen ac restringuntur ad objecta illius scientiæ, cujus dicuntur esse axiomata quasi propria, & illi scientiæ sunt usu quasi propria. E. g. Axioma quasi proprium est illud principium: *Qui vult finem, vult etiam medium prorsus ac simpliciter ad finem necessarium*, quatenus Moraliū Doctor applicat ad moralia officia & eo ad conclusiones practicas inferendas utitur: Contra verò axioma proprium est hoc: *Ex nihilo nihil fit*, quando Physicus doctrinas & conclusiones ex illo deducit.

§. 2. Ex propriis axiomatibus fiunt doctrinæ ac demonstrationes primariæ, quia sunt *δεχαι οικειας* principia domestica; Ex quasi propriis extruuntur doctrinæ ac demonstrationes secundariæ minorisque clasfis, quia non sunt principia domestica.

§. 3. Duobus autem modis evenire solet, ut axioma aliquod alicui scientiæ fiat quasi proprium, seu applicetur ad objecta alicujus scientiæ, cui tamen consideratione non est proprium, (1.) si retentis totidem verbis applicetur ad alicujus disciplinæ objecta, & in alia disciplina tanquam in sua domo habitare incipiat: e. g. quando Philosophia moralis hoc axioma Metaphysicum: *Qui efficaciter vult finem, vult etiam medium prorsus ac simpliciter ad finem necessarium*, sive hoc: *Causa cause* (formaliter consideratæ) est *causa causati*, totidem verbis ad moralia applicat. (2.) Si efferatur terminis illi disciplinæ generi, cui accommodatur, propriis, aut alio quodam stylo elegantiori: E. g. quando Moraliū Doctor utitur hoc effatō: *Necessitas finis facit jus in moralibus*: Hoc enim effatum nihil aliud est quam axioma Metaphysicum: *Qui efficaciter vult finem, vult etiam medium prorsus ac simpliciter necessarium ad finem*. Eodem modo axioma Metaphysicum fit axioma quasi proprium, cum Moraliū Doctor hæc proponit effata: *Quod quis per alium facit, per se fecisse putandus est*, *It: quod quis faciendi alii jus dat, ejus ipse autor censetur*, *It: Etiam facimus, quod per alios facimus*: Hæ enim propositiones nihil aliud sunt quam axioma consideratione

ratione proprium Metaphysicæ: *Causa causa est causa causa-*  
*ti* Pariter hoc axioma Analyticum; *Commune wæs év abso-*  
*lutè positum stat in significato famosiori, Hugo Grotius lib. 1. de*  
*Jure Belli & Pacis cap. 1. applicat ad Philosophiam Practi-*  
*cam, & elegantiori stylo sic effert: Nomen generis speciei præ-*  
*sertim excellentiori sæpè peculiariter adharecit.*

## THESIS V.

Axiomata sunt vel simpliciter talia vel in cer-  
to genere talia.

Εκδοσις.

§. 1.

**A**xiomata simpliciter talia vocantur, quæ omnibus  
scientiis ratione usus sunt communia. Dico: *ratio-*  
*ne usus.* Nam ratione considerationis axiomata sim-  
pliciter talia ad solam Metaphysicam spectant, ut in-  
frà ostendetur. Axiomata simpliciter talia sunt hæc: *Im-*  
*possibile est, idem simul esse & non esse, Quodlibet est vel non*  
*est &c.*

§. 2. Axiomata in certo genere talia sunt propositio-  
nes indemonstrabiles, quas necesse est ut noverit is, qui sal-  
tem hanc vel illam scientiam discere vult, antequam ad  
Doctorem suum accedat: E. g. Axioma in certo genere  
scientiæ nempe in genere scientiæ moralis est hoc: *Per se*  
*& ex sua natura honestum (turpe) est expetendum (fugiendum).*

§. 3. Axioma simpliciter tale est vel ultimum vel non  
ultimum. Illud nullum aliud agnoscit axioma, ex quo  
veritas ejus cognoscit possit: Hoc aliud agnoscit axioma,  
ex quo ipsius veritas potest cognosci: E. g. axioma simpli-  
citer tale & quidem ultimum est hoc: *Impossibile est, idem*  
*simul esse & non esse:* Contra verò axioma simpliciter tale  
non ultimum est hoc: *Positâ re ponitur rei forma, quia aliud*

C 2

agno-

agnoscit axioma, ex quo ejus veritas cognosci ac ostendi potest, nempe hoc: *Impossibile est, idem simul esse & non esse.* Si enim ponatur res aliqua non simul positâ formâ ejus, tunc ponetur res aliqua & non ponetur illud, per quod res est id, quod est, & sine quo res non potest esse id, quod est: Jam verò si ponatur res aliqua non simul positô illô, per quod res est id, quod est, & sine quo res non est nec esse potest illud, quod est, tunc fieri potest, ut aliquid simul ponatur & non ponatur, & consequenter impossibile non erit, idem simul esse & non esse, idem simul poni & non poni, quod est absurdorum absurdissimum.

## THESES VI.

**Axiomata simpliciter talia considerat Philosophia Prima explicando ea, confirmando, & per absurdum ac impossibile demonstrandô.**

*Expositio.*

§. 1.

**Q**uod hæc axiomatum consideratio ad Philosophiam Primam ex professo spectet, inde patet, quod vocabula, quibus hæc axiomata indicantur, ut *ens, essentia, existentia, unitas, unum* &c. per se & ex professo sub considerationem Metaphysicæ cadant: Jam verò axiomata simpliciter talia explicantur, quando vis & significatio illorum terminorum, ex quibus constant, indicatur, & confirmantur, quando ex definitione terminorum probantur, id quod optimè præstare potest ea scientia, quæ terminos illos considerat.

§. 2. Hoc axioma: *Totum est majus qualibet sua parte,* Philosophia Prima explicat, quatenus terminorum, quibus indi-

indicatur, vim & significationem ostendit; confirmat autem, quatenus terminos, quibus exprimitur, definit, & ex terminorum definitione concludit. Nempe Philosophia Prima primò definit prædicati partem in illo axioma, nempe *7o* majus, & docet, majus illud dici, quod tantum est, quantum est alterum, cujus respectu dicitur majus, & quod præterea illud excedit & superat. Porro definit subjectum istius axiomatis nempe totum, & docet, totum hoc loco esse unum, quod continet ea, quæ continentur (h. e. partes) ut sint unum. Ex definitione igitur prædicati Philosophia Prima sic concludit: Quicquid tantum est, quantum omnes suæ partes seorsim sumtæ, & præterea illas superat & excedit, illud majus est qualibet suâ parte seorsim sumtâ, Atqui totum est tantum, quantum quælibet sua pars seorsim sumta & præterea excedit quamlibet suam partem, Ergò totum majus est qualibet suâ parte seorsim sumtâ. Minorem in gratiam modestè dubitantium ex definitione subjecti nempe totius probat h. m. Quicquid continet plura, quæ continentur, ut sint unum, illud est tantum, quantum est quodlibet eorum, quæ continentur, prætereaque quodlibet horum excedit, Atqui totum continet plura, quæ continentur, ut sint unum, Ergò totum est tantum, quantum est quodlibet eorum, quæ continentur, & præterea quodlibet horum excedit, h. e. totum est tantum, quantum est qualibet sua pars, & præterea quamlibet suam partem excedit.

§.3. Tandem Philosophia Prima adversus ineptos ac pervicaces adversarios axiomata demonstrat demonstratione elenctica aut ducente ad impossibile. E.g. Philosophia Prima hoc axioma: Totum est majus qualibet suâ parte, contra contumacem adversarium sic demonstrat: Si totum non esset majus qualibet suâ parte, tunc aliquid simul esset totum & non esset totum, quod impossibile est juxta primum, quod in Philosophia Prima occurrit, axioma. Esset enim totum, eò quod salvâ veritate dicatur totum, non

buq. VI

C 3

esset

esset totum, eò quòd non majus sit qualibet sua parte, h.e. non sit tantum, quantum est quælibet pars, atque insuper excedat illam, cum tamen totum dicatur unum, quod continet plura, nempe partes, quæ ita continentur, ut ex iis unum aliquod proveniat, adeoque sit tantum, quantum est quælibet sua pars, atq; insuper excedat illam.

## ET TANTUM HAC VICE.

---

### Corollaria.

I.

Dialectica conducit ad probanda axiomata cum simpliciter tum in certo genere talia.

II.

Ex eo, quod axiomata demonstrantur demonstratione elenctica, non sequitur, quod axiomata demonstrantur. Aliud enim est τὸ ἀποδείξαι demonstrare, aliud est ἐλεγκτικῶς ἀποδείξαι, redarguendo demonstrare.

III.

Quot sunt modi quærendi, tot sunt modi sciendi, ut rectè docet Aristoteles lib. 2. post. c. 1. Rationem reddit Philoponus in 2. Post. 1. cum ait: καὶ τὰ ζητούμενα καὶ τὰ γνωσόμενα ταῦτα μὲν εἰσι τῷ ὑποκειμένῳ, τὰ δὲ λόγῳ ἔτιον. Quærita & scita sunt eadem quidem subjecto, sed ratione sunt diversa.

IV. Apud

IV.

Apud Aristotelem alia scientia est scientia τὸ ὄν,  
alia scientia est scientia τὸ εἶ ὄν.

V.

Cum res actu est, non datur ejus causa efficiens.

VI.

Causa instrumentalis est causa efficiens ἀναγωγικῆς  
five reductivè talis.

VII.

Quot sunt genera causarum, tot sunt genera  
rationum causandi.

IIIX.

Ab actu secundo ad actum primum valet con-  
sequencia affirmativa, non negativa.

IX.

Ab actu primo ad actum secundum valet con-  
sequencia negativa, non affirmativa.

X.

Non omnis causa efficiens mediata est causa  
moralis.

XI.

Si divisio causæ efficientis in Physicam & mo-  
ralem est immediata, sic datur causa Physica,  
quæ non est causa efficiens immediata.

XII.

Causalitas causæ moralis non est moralis motio.

XIII. Mo-

XIII.

Motio causæ finalis, & motio causæ moralis  
variis modis differunt.

XIV.

Causalitas causæ moralis semper est positivum  
quid.

XV.

Rectè distinguit Aristoteles inter motum causæ  
efficientis & inter motum causæ finalis.

XVI.

Datur causa efficiens, quæ nec est principalis  
nec instrumentalis.

XVII.

Tot sunt genera causalitatum, quot sunt gene-  
ra Causarum.

XIIX.

Causa per accidens ex parte causæ semper est  
vera causa.





00 A 6406

ULB Halle 3  
002 916 622





Slc

Retro V

VDMA







METAPHYSICARUM  
IMA

3  
ATIBUS

nerere,

ta Salana

simi Collegii Phi-  
phici

tionem exponent

LUS Gebenstreit/

SES,

IUS Pfefferkorn /

Thuringus

DENS

Jul,  
OC. LXXXII.

N Æ,

RTHERIANIS.

